Censure 1696



ARTICULI

Circà Librorum approbationem obſervandi, ex Decreto ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, die 1. *Junii anno Domini* 1696.

I.

NOminabuntur ſingulis annis à ſacra Facultate ſexdecim Magiſtri, qui ex officio lectioni Librorum incumbent.

II.

Sexdecim illi Magiſtri aſſumentur, ſcilicet, quatuor ex Domo Sorbonica, quatuor ex Domo Navarrica, quatuor ex iis qui nulli ſunt aſcripti familiæ, quatuor deniquè ex Regularibus.

III.

Omnes & ſinguli Magiſtri qui comitiis interſunt, poterunt ſupplicare pro lectione & approbatione Librorum.

IV.

Poterunt quoque Librorum Authores, dato ad Facultatem libello, ſupplicare ut ~~illorum~~ sui Libri à Magiſtris noſtris approbentur.

V.

Antequam ſupplicatio inſtituatur pro cujuſcumque Libri lectione & approbatione, illius titulus deferetur ad Syndicum.

VI.

Qui ſupplicaverit, ſive Magiſter, ſive Librorum Author, aſſumet duos quos voluerit ex ſexdecim nominatis, qui Librum pro cujus approbatione ſupplicatio fuerit inſtituta, ex officio legant unà cum Magiſtro, ſi quis fuerit, qui pro ejuſdem Libri lectione & approbatione ſupplicaverit.

VII.

Inter Magiſtros qui Libros approbabunt, ſemper aliquis Magiſter ſæcularis occurret.

VIII.

Præter duos Magiſtros ex ſexdecim nominatis, & Magiſtrum

qui ſupplicaverit, poterunt & alii Magiſtri, ut ipſis libuerit unum eumdemque Librum approbare, modò tamen plura approbationum inſtrumenta non conficiant, ſed omnes uni eidemque approbationi nomen ſuum apponant.

I X.

Qui pro approbatione alicujus Libri ſupplicare voluerit, manuſcriptum autographum ad ſacram Facultatem afferet, fidemque faciet prolato Authoris teſtimonio, illud nondum eſſe typis mandatum.

X.

Unuſquiſque Approbatorum integrum manuſcriptum perleget; quâ lectione abſolutâ, notabuntur apud Magiſtrum è Sæcularibus antiquiorem, ſi quæ ſint in illo correctione digna.

X I.

Duplicem correctionum indiculum facient Magiſtri Approbatores, quorum alter ab Authore Libri, vel illius curam gerente, ſubſignatus remanebit penes antiquiorem ex Approbatoribus ſæcularem; alter tradetur Authori Libri, vel illius curam gerenti, ut ſecundùm ejuſdem indiculi fidem quæ erunt corrigenda corrigat.

X I I.

Poſtquam typis mandatus fuerit Liber, & obſervaverint Magiſtri Approbatores, omnia ſecundùm fidem indiculi fuiſſe correcta, tunc antiquior deputatorum ſæcularis referet ad Facultatem, nihil obſtare quominus hic Liber approbatione donetur; reddetque Authori indiculum correctionum qui fuerat ab eodem Authore ſubſignatus.

X I I I.

Nullus ſupplicabit pro lectione Libri à viro Religioſo ſcripti, cujuſcumque Ordinis aut Congregationis fuerit, ſeu Regularium ſimpliciter, vel Clericorum Regularium, vel deniquè eorum qui in communi quadam ſocietate ſub unius Superioris obedientia vivunt, quin priùs ſibi tradi provideat ejuſdem Superioris licentiam, quâ conſtet dicto Regulari facultatem Libri edendi fuiſſe conceſſam, quæ quidem licentia apud majorem Apparitorem deponetur, qui illam cùm opus fuerit Facultati repreſentabit.

X I V.

Nullus Libros ab Hæreticis cujuſcumque ſint argumenti conſcriptos approbabit, nec libellos quoque à mulieribus compoſitos.

X V.

Nullus ſupplicabit pro lectione Libri anonymi, niſi Author ipſe

privatim apud Magiſtrum qui ſupplicare voluerit, teſtimonio propriâ manu ſubſignato, apud eumdem Magiſtrum aſſervando, Authorem ſe ejuſdem Libri profiteri malit.

X V I.

Approbationis inſtrumentum ſimplex erit, & abſque elogiis, his conceptum terminis. Nos infrà ſcripti Doctores Theologi Pariſienſes, teſtamur ex mandato ſacræ Facultatis legiſſe, examinaſſe, & cenſuiſſe Librum cui titulus eſt . . . nihilque in eo deprehendiſſe Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium; in quorum fidem ſubſcripſimus. Si verò Liber ſit Gallicè conſcriptus, approbatio his erit concepta terminis. *Nous ſouſſignez Docteurs en Theologie de la Faculté de Paris, certifions que par l'ordre de ladite Faculté, nous avons lû & examiné un Livre qui a pour titre . . . . & que nous n'y avons rien trouvé de contraire à la Foi Catholique & aux bonnes mœurs; en foy de quoy nous avons ſigné.*

X V I I.

Curabit antiquior Approbatorum ſæcularis, ut exemplar Libri approbati, ſi non manuſcriptum, ſaltem typis excuſſum in publico Facultatis tabulario aſſervetur.

X V I I I.

Magiſtri qui Lutetiæ non degunt, quandoquidem apud ſacram Facultatem pro lectione & approbatione Librorum ſupplicare, aut duos ex ſexdecim nominatis ad eorumdem Librorum lectionem & approbationem ſecum aſſumere nequeunt cæteros hujuſce decreti articulos, in approbandis Libris accuratè obſervabunt; valebitque illorum approbatio ut privata, quam conſcribent ut ſuprà, omiſſis tamen his terminis, *ex mandato Facultatis.*

X I X.

Ut hoc Decretum accuratè obſervetur, illud typis mandandum cenſuit Facultas, & illius exemplaria omnibus & ſingulis Magiſtris diſtribuenda; necnon unicuique Superiori Familiarum quæ ad Facultatem ſpectant, ut ſuis qui Doctores ſunt, ubicumque degant, illud quamprimùm ſignificent, ne quis illius ignorantiam prætexat.

De Mandato D. D. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis
DE CHAMP-VEILLE.